

S. O. A. N. 3

DE

OMNIPRÆSEN-  
TIA DIVINA,

DISSERTATIO PHILOSOPHICA;

Quam,

*Ex Indulto Incltyi Ord. Phil. Acad.  
Aboënsis,*

Ad Diem XXIII. Junii A. R. S: MDCCXLVIII,  
In Auditorio Maximo H. a. m. C.

PRO LAUREA PHILOSOPHICA  
RITE OBTINENDA,

*Publice Defendendam Propomit;*

PRÆSIDE,

CAROLO  
MESTERTON,

Log. & Metaph. Prof. Reg. & Ordin.

AUCTOR

SAMUEL KROGIUS.

P. F.

---

ABOÆ, Typis JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

VIRO

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo*

**D. N. PAULO KROGIO,**

*PRÆPOSITO & PASTORI Ecclesiarum, quæ Deo in  
Pieæmæki colliguntur Dignissimo, Meritissimo,  
PARENTI INDULGENTISSIMO.*

**V**arias ob rationes variis suis aliis adscribere solent lu-  
cubrations. Ego non moris & consuetudinis ergo,  
nec levi alia de causa, exiguas has & omni destitutas  
nitore & ornamento, Tibi Optime Pater, sacratas vo-  
lo pagellas. Tenerrimus amoris & venerationis affectus  
ad id me impellit. Plurima enim eademque maxima, quæ  
in me exstare voluisti beneficia & paternæ benivolentiæ docu-  
menta prorsus singularia, memet ad gratissimam mentem pie-  
tatemque publice testandam, commovent. Ianta vero sunt,  
Parens Indulgentissime, Tua in me merita, ut iis re-  
censendis nedum rite depraedicandis maxime sim impar,  
Meum tantum erit, calidissima ad Demurn T. O. M. fun-  
dere vota, velit Is Supremus rerum Arbiter, senectutem  
Tuam jam ingravescens reddere jucundam, Teque, ad  
ultimos usque mortalitatis terminos, in Ecclesiae suæ emo-  
lumentum, Inorumque omnium gaudium & solatium cer-  
tissimum, conservare. Ita voret & vovebit, ad cineres us-  
que Tuus,

**PATER INDULGENTISSIME,**

*Osequentissimus Filius,*

*Samuel Krogius* SAMUEL KROGIUS.



I. N. 7.

§. I.

**D**EUS est *Ens Infinitum*. *Infinitum* vero nobis dicitur, quod omnes realitates sive perfectiones, modo absolute summo, complectitur: h. e. sine limitibus, gradibus & successibus. Est itaque Deus ens necessarium, immutabile, æternum, omnipotens atque omniscium.

§. II.

**D**eus est *ens omni modo simplicissimum*. Cum enim quæ Deo insunt, necessario & immutabiliter ipsi competant, (§. I.), nihil in ipso concipi potest, quod sine altero esse posset. Et posito unico, quod Deo inest, attributo, illud per infinitudinem suam omnia reliqua jam comprehendit. In Infinito enim nullus intelligi potest defectus: nec plura infinita, re ipsa a se invicem differentia, dantur. Quæ itaque Deo conveniunt, materialiter sive realiter inter se non differunt. Verum omne, quod Deo inest, est ipse Deus, & ejus constituit essentiam sive substantiam. Cum vero

infinitudinem ejus absolutam comprehendere nequeat intellectus noster limitatus, realitates, quas pro nostro concipiendi modo ipsi inesse judicamus, virtualiter a se invicem differentes concipimus, easque sub diversis notionibus nobis sistimus. Verum enim vero Logica hæc considerandi ratio, qua inter attributa entis, formalis constituitur differentia, vel qua unam eandemque rem, sub diversis notionibus distinctis, repræsentamus, pro diversa ejus relatione ad reliqua, physicam quandam vel metaphysicam non infert compositionem, Simplicitati ejus adversam & inimicam.

## §. III.

**E**X infinitate Divina (§. I.), ejus quoque resultat *Immensurabilitas*, vel *immensitas*, qua ratio magnitudinis realitatum & perfectionum, quæ Deo competunt, ad alia entia, nullo respectu, perquiri potest. Adeoque cum quodlibet, quod Deo inest, sit ipse Deus, vel substantia Divina (§. II.), vi hujus attributi, omni modo est inperveſtigabilis. Sic & reliqua attributa Divina, ex allata nostra definitione (§. I.), facile derivantur, nos vero eorum tantum iniecimus mentionem, quæ sequentibus demonstrandis intervniunt.

## § IV.

**O**Ritur ex relatione Numinis ad hoc universum actu jam existens, Philosophis communiter usitata divisio, inter prædicata Dei *Absoluta*,

Et re.



*Et relativa.* Illa sunt, quæ simpliciter Deo competent per ejus essentiam, quatenus ipse existit: hæc vero, quæ ex relatione ad hunc mundum, sive res extra ipsum, puta Deum, existentes, intelliguntur. Quæque adeo, pro eodem concipiendi modo, cum rebus una esse cœperunt, iis vere existere desinentibus, cessant, salva tamen immutabilitate Divina. Quis enim inde mutationem ipsi tribueret, quod objectum actionis ipsius evanescat, vel esse desinat. Quemadmodum solem mutari nemo dixerit, quamvis civitas quædam eidem exposita funditus jam evertatur atque ad incitas redigatur, adeo ut in illam radios suos ulterius spargere nequeat.

## §. V.

**H**Æc jam sunt, quæ, in Metaphysicis, fusius exposita, generatim nobis præmittenda videbantur, antequam ad ipsam Omnipraesentiae notionem distincte evolvendam & adstruendam accedere potuimus. Verum enim vero majorem in modum, torserunt ingenia Philosophorum, difficillimum hoc argumentum. Quamvis enim singula, quæ rationis ductu nobis innotescunt, prædicata Divina, captum nostrum longe superent, omnium tamen maxime & intellectus nostri imbecillitatem & Divinam incomprehensibilitatem, arguere videtur Omnipraesentiae ejus penitior consideratio. Unde nec mirum est, in re tam ardua & sublimi in plures abiisse partes eruditos, quæ eorum dissensiones,

huic rei attendenti, negotium faceflant non minimum. Sis ergo mitis mihi censor, L. B. & scias difficilia summis viris, tenui & juvenili ingenio esse difficillima.

## §. VI.

**P**raesentiae notionem adeo claram existimaverunt veteres, ut nulla indigeret definitione; eam tamen distincte evolvendam & definitione explicandam, arbitrati sunt recentiores. Ex communi loquendi utu praesentia sunt, quae se mutuo contingunt, vel immediate coexistunt, ut alterum in alterum agat: ut si lapis, alium contingat lapidem, & in eum agat. Ex eadem dicendi inconsistentia, praesentia dicuntur propinqua & contigua, quae iisdem terminis, e. g. parietibus includuntur, vel quae a se invicem longius remota non sunt, quamvis immediato contactu alterum, alterum non attingat, nec in alterum agat. Etiam praesens est, quod in alterum agit, quocumque modo, licet aliquo a se invicem distent intervallo: Sic sol & candela praesentes sunt iis, in quos suos diffundunt radios. Sic & homo homini praesens est, quem videt. Quin etiam unum idemque diverso respectu & praesens & absens esse potest: E. g. Absens est campana, quatenus eam longius a me remotam non video, praesens vero, quatenus in organa mea auditus agit. Praesentia animae corpori suo, varie concipi potest, pro diversa ratione explicandi



di utriusq; commercium. His in summam collectis, patet aestimari praesentiam omnem entium A. & B, vel ex dependentia mutationum quarundam in B. ex altero A, vel ex actione  $\tau$  A. in B. vel ex utriusque contactu immediato, vel ex omnibus illis simul sumtis. Nil hic nostri refert, de universali praesentiae notione exacte determinanda, sollicitos esse, vel abstrahendo, definitionem formare generalem, cui allati casus speciales subessent omnes. Singulos enim praesentiae modos explicare, nostri non est instituti. De praesentia Divina hic tantum agimus, & sufficit quidem nobis ens intelligens A, extra controversiam & quidem omni respectu alteri B praesens dici, si A 1:o immediate vel nullo interveniente alio ente, coexistit cum B. h. e. illi substantialiter adest: 2:do illud intuetur & cognoscit, & 3:tio deniq; in illud agit vel operatur. Huic praesentiae omnimodam addit amplitudinem *Omnipraesentia*.

## §. VII.

**E**st itaque *Omnipraesentia Divina*, ea, *Ejus ad hunc mundum actu existentem, relatio, qua omnibus in universum entibus, substantia, cognitione & operatione semper & constanter adest.* Talem esse omnipraesentiam Divinam in sequentibus demonstrabimus, & nonnullas ejus affectiones explicabimus. Ex data vero hac definitione jam immediate colligitur, omnipraesentiam Divinam ex nostra sententia non absolvi, ut alii volunt, sola *adiacata* sive *substantiali*

tiali adessentia omni enti, sine interventu aliorum entium. Neque in nuda operatione sive actione, eam ponimus, cum nimirum substantia ibi necessario sit, ubi immediate agere concipitur, non tamen substantialis adessentiae notam exulare hic volumus. Ex mediata enim entis actione in aliud, e. g. objecti e longinqvo positi operatione in organa nostra sensoria, ad immediatam illius adessentiam non valet consequentia. Distinguitur quoque, hac definitione, praesentia Divina, non modo a praesentia entium compositorum, quae quidem substantialem adessentiam & operationem, non vero intuitivam cognitionem involvit; sed etiam a praesentia spiritus finiti ad aliud ens finitum, quae ex actu ejus repraesentativo cognoscitur, substantialem vero non infert adessentiam, de qua etiam Paul. Col. II. 5.

§. VIII.

**E**NS contingens est, quod potest existere & non existere. Idem etiam mutabile est & finitum. Nec suae existentiae rationem in se ipso, vel sua essentia, potest continere. Eam enim si haberet, existentia in attributorum ejus numerum esset referenda, adeoque necessaria foret. Quo ipso ens contingens necessarium simul evaderet. Et cum necessarium semper sit immutabile & infinitum, omnia enim simul habet, quatenus fieri non potest, ut, quod ei inesse possit, actu non  
 inlit,



infit, ens contingens pariter foret infinitum & immutabile, quod cum manifestam involvat contradictionem, sequitur ens contingens a se non esse, vel suæ existentiaë rationem in se ipso non habere posse.

## §. IX.

**D**UM ad res in universo existentes animum advertimus,prehendimus unam alteri succedere, oriri illas, interire, & continuis subjici mutationibus, finitas itaque esse easdem & contingentes atque mutabiles, extra omne est dubium. Cum adeoque a se existere, vel suæ existentiaë rationem in propria essentia habere nequeant (§. 8.) existentiam tuam, ( sine ratione enim sufficienti non sunt ) debent Deo enti infinito & necessario (§. 1. ). Unde Deum omnes res existentes, adeoque & ipsum mundum, qui earum serie vel nexu absolvitur, creasse, manifestum est.

## §. X.

**I**dem vero summum Numen, quod in statum existentiaë prodire jussit hunc mundum (§. 9.) existentiam quoque ejus continuat, & eundem in esse suo sustinet. Quæ enim entia, propria vi, existentiam inire nequeunt, ea, nec in illa domestica virtute, finita & limitata, persistere valent. Primum enim existentiaë momentum in creatione fundatum, uti non ab ente ipso dependet, sed a Deo (§. 9. ), sic & alterum, tertium & reliqua peren-

perennationis momenta ad ejus conservationem, quæ & continuata creatio dicitur, qua entia creata in suo esse persistere facit, reterendum est. Cum conservatio eodem modo infinitudinem involvere intelligatur, entibus pariter finitis incommunicabilis est, ac ipsa creatio.

## §. XI.

**Q**uemadmodum vero Deus creaturis omnibus continuationem, quoad existentiam (§. 10), ita etiam, quoad agendi vires largitur: hæ enim existentiam sequuntur. Illa vero actio Dei, qua vim activitatis in ente sustentat, cum concursus dicatur divinus; Deum quoque ad actiones vel vires agendi nostras concurrere patet, & ita quidem, ut agendi conatum & vim actionibus diversis efficiendis æque aptam, in suo esse sustentet & conservet. Concurrit, nimirum, Deus ad actionis materiale, ut loquuntur Philosophi, non vero formale, vel ut aliis placet, ad vim agendi, seu id quod in actionibus reale est, non vero ad virium agendi limites. Loquimur hic de concursu Dei generali & physico, quo vires omnium in universo sustentat. Concursum Dei Moralem quod attinet, ad actiones rationalium ita concurrit, ut simul motiva actionum ipsis suppeditet. In hoc morali concursu ad formale actionum, sive earum determinationem concurrere quoque Deum, quatenus motiva actionum bonarum agentibus subministrat.



nistrat, facile patet. De hoc vero agere uberius, praesentis non est instituti.

## §. XII.

**A**ccedit demum Gubernatio Divina, qua actiones creaturarum ad certos dirigit fines. Is enim sapientissimus, cum nihil frustra agat, creatione rerum, non potuit non fines intendere certos, quibus etiam obtinendis cuncta, pro summa, qua gaudet sapientia, fundata in illimitata ejus omniscientia & omnipotentia, subordinare vult, scit & potest.

## §. XIII.

**S**ic Deus rerum a se creatarum providam gerit curam. Eas nimirum non sustentat modo & conservat (§. 10.) sed & concursum generalem (§. 11.) & gubernationem (§. 12.) in illas exercet: unde pronus fuit alveo, Deum in res creatas omnes continuo atque semper agere & operari, & quidem ob infinitudinem suam, vi & potentia infinita.

Agere hic dicimus Deum, neque enim sine actione ejus existentia concipitur. Generatim enim existentia dicitur status entis, quo aptum est ad agendum vel patiendum. Nulla vero in eum cadit passio, sive mutatio orta ex actione entis cujusdam alius ab ipso diversi, ob immutabilitatem intrinsecam (§. 1.) relinquitur itaque ut agat, quia existit (§. 1. 9.). Quamvis vero actio involvat

B

muta-

mutationem, quatenus sumitur pro mutatione status, cujus ratio continetur in ipso ente mutato; cave tamen existimes, nos Deum reddere velle mutationibus obnoxium. Modos enim Deus, qui constanter ipsi non inessent, admittere nequit (§. 2.). Cum vero ad hos, si quæ fuerint determinaciones novæ accedentes, vel in aliarum locum succedentes, h. e. mutationes omnes, communiter referuntur: ad essentialia enim & attributa, quæ rebus constanter insunt, pertinere nequeunt; patet neque his in Deo locum esse concedendum. Oritur tantum ex actione Dei, salva immutabilitate ejus, nova ad terminum actionis relatio, & externa quidem illa. Sic respectu mundi creator jam dicitur, quod antea non erat. Quæ quidem relatio ad objectum, circa quod actio versabatur, si speciem mutationis præ se ferat, ab ea tamen quam longissime abest. Agit Deus, quatenus vis ejus Divina rationem alicujus existentia in se continet. Quæ infinita vis nullo modo impedita in eo semper actuosa est. Non enim in Deo transitus a non agendo ad agendum concipi potest. Et illa eadem vis infinita & immutabilis considerata cum relatione ad id, quod per eam nunc vel alio tempore secundum decretum divinum existit, actio Dei dicitur, quam nos ex effectu existenti concipimus. Nec alia inter vim ejus & actionem datur differentia (§. 2.).



## §. XIV.

**O**bjectum actionis divinæ est vel ipse Deus, vel res a Deo diversa, quatenus sine objecto in quo verletur, actio nulla concipi potest. Si illud, *actio est ad intra*, si hoc, dicitur *actio ad extra*. E. g. Deus cognoscit se ipsum, cognoscit & res alias extra se existentes vel possibles. *Actio Dei ad extra immanens* est, cujus objectum est res a Deo diversa, actio vero in ipso Deo perficitur. E. gr. Repræsentatio hujus universi jam existentis. *Transiens* vero cujus & objectum extra Deum est, & extra eum etiam perficitur. E. g. Excercitium omnipotentia divinx, concursus & gubernatio ejus.

## §. XV.

**D**eus vi omniscientia suæ illimitatæ (§. 1.), omnia sibi modo repræsentat consummatissimo; adeoque & omnes ubique res existentes, semper, adæquatissime, unico actu, & per modum visionis intuetur & cognoscit. Quatenus vero ens simplex aliis entibus cognitione, vel earum repræsentatione adest, illi competit *praesentia Intentionalis*. Hanc itaque Deo tribuendam esse patet.

## §. XVI.

**S**ubstantia Dei omnibus rebus creatis semper adest. Omnes etenim res cognoscit Deus (§. 15.), in omnia entia agit & operatur (§. 13.). Cum vero quæ Deo insunt, materialiter inter se non differant, adeo ut omne quod Deo inest, sit ipse De-

us, vel substantia divina (§. 2.); sequitur substantiam divinam omnibus & singulis adesse rebus, quibus cognitio & operatio ejus adest (§. 15. 13.). Pone vero substantiam divinam, huic tantum enti vel pluribus entibus, adesse, sive jam adesse his, jam vero aliis, quia aliter esse, vel non posset vel non vellet, fingis eum omnibi non esse & sic in omnibus illis casibus Deum concipis finitum, & eo respectu mensurabilem, quod impium pariter ac absonum (§. 1. 3.): multo minus nullibi esse potest. Quatenus existit, detur etiam modus, quo ceteris coexistat, h. e. alicubi existat, necesse est. Idem ulterius sic evincitur.

Deus agit & operatur in omnia entia existentia (§. 13.), iis itaque adest (§. 6.). Est vero etiam ens simplicissimum, quod omnibus partibus & omni compositione caret (§. 2.), adeoque quibus adest, non per partes adesse potest, totus ergo adest, h. e. cum omnibus suis attributis infinitis. Cum vero totus Deus sine substantia concipi non possit, intelligitur hinc, Deum substantia sua omnibus rebus existentibus adesse.

## §. XVII.

**D**EUS est Omnipraesens. Adest omnibus hujus mundi entibus, substantia (§. 16.), cognitione (§. 15.), operatione (§. 13.), idque constanter & semper (§. §. c.) involvit etiam hoc infinitudo & immutabilitas ejus (§. 1.). Et hinc est, quod Deum Omnipraesentem dicamus. §. XVIII.



## §. XVIII.

**E**Lucescit hinc Omnipraesentiam divinam, praeter *adiacrasav* substantialem, illos Dei involve-  
re actus, quibus omnes res existentes, coram qua-  
si intuetur, eas sustentat, (§. 10.), concursum il-  
lis praestat (§. 11.), easque gubernat & dirigit  
(§. 12.) conf. §. 13. & 17. *adiacrasov* vero seu in-  
distantem ejus esse praesentiam, ex adessentia sin-  
gulis rebus substantiali, sine interventu aliorum  
entium (§. 16.) adstructa, facile colligitur. Neque  
e longinquo res contuetur, nec agere in distantes  
concipi potest.

## §. XIX.

**P**atet deinde etiam ex demonstratione (§. 16.)  
allata, Omnipraesentiam divinam esse *totalem*  
& *indivisibilem*. Neque enim Deus simplicissimus  
in partes dividi potest (§. 2.), adeoque nec, quo-  
ad aliquam partem tantum, alicui praesens esse  
potest.

## §. XX.

**O**mibus cum adsit Deus (§. 17.) non modo  
toti enti simplici, cujus nullae sunt partes, sed  
& singulis compositi minutissimis particulis praesens est. *Intima* itaque est ejus praesentia. Et qui-  
dem sine omni essentiarum confusione, vel Dei  
& creatorum consubstantiatione. Et cum ita re-  
bus intime adsit, ut in iis nihil remaneat, cui non  
praesens sit, conficitur hinc, *repletivam* esse Divinam  
Omni-

Omnipraesentiam, nihilque ab illa vacuum dari; repugnaret enim hoc immensitati ejus (§. 3.). Non tamen omnia replet corporum modo, nec rebus adest impulsu quodam Mechanico (§. 2.), sed *definitive*, hoc est modo, quo ens simplex in alia entia agit, operatur & iis adest.

## §. XXI.

**S**ens, quod aliis praesens est, in loco simul existat, ita ut determinatam spatii imaginarii partem occupet, *praesentia localis* dicitur. *Ut in loco vero praesens est*, quod ipsum in loco non existens, alteri in loco existenti adest. *Praesentia* denique *illocalis* dicitur, qua unum alteri praesens est, neutrum vero in loco existit. Composita in loco existunt, spatii enim partem implent. Hoc vero cum enti simplici non conveniat, nec concipi possit, ens omni parte destitutum, partem alterius implere, palam est, Deum ob summam simplicitatem (§. 2.) localiter rebus praesentem non esse. Non localiter in rebus, quasi intra limites earum certum occuparet locum, nec localiter extra ipsas, quasi extra earum limites in loco esset. Adest itaque *compositis ut in loco; simplicibus vero illocaliter*. Recte itaque dicitur, Deus est in nullo loco. Non tamen ideo nullibi est, existit enim (§. 9.), & omnibus entibus adest (§. 17.).

## §. XXII.

**N**ec porro *extensiva* est *praesentia* divina. In eo enim



enim simplicissimo (§. 2.), nulla concipi potest dimensio. Hinc neque *diffusiva*, quasi quædam illius uni, alia alteri, adessent. Nec *successiva*, quasi jam his, jam aliis adesset entibus, & ab uno ad aliud transiret. Repugnat hoc præsentia illocali (§. 21.). Qui enim in loco non est, illud mutare nequit, & in aliud transgredi. Qui totus adest singulis (§. 19.), non alia ulterius adire potest. Nec infinitudo divina, aliquam in eo admittit possibilitatem non actualem (§. 1.). Quin & facile patet attendenti, Omnipræsentiam successivam, in se esse contradictoriam & inconceptibilem. *Simultanea* itaque est Omnipræsentia divina. Licet vero simul Deus adsit singulis rebus & minutissimis earum partibus, totus, & modo, quo diximus: ita ut in toto non sit plus Deitatis, quam in parte, nec in parte minus, quam in toto; non tamen ideo *multiplicativa* est ejus præsentia, quasi pluries existeret: Deus enim unus est.

## §. XXIII.

**E**T sic jam demonstravimus, Omnipræsentiam divinam esse Intentionalem (§. 15.), totalem & indivisibilem (§. 19.), Indistantem, (§. 18.), intimam, repletivam, & definitivam (§. 20.), illocalem & ut in loco (§. 21.). Non extensivam, non diffusivam, non successivam, sed simultaneam, nec denique multiplicativam (§. 22.). His in summam collectis, liquet, hac omnipræsentia, majorem

jorem non posse cogitari. Tantum abest ut, quæ nobis occurrunt difficultates in consideranda hac omnipræsentia, eam ullo modo labefactare possint. Nec mirum hæc nobis esse difficilia, sensuum enim repræsentationibus adveti, omnia sub imaginibus & certis figuris, quæ in his locum non inveniunt, nobis sistere didicimus. Ut taceamus, infinitudinis, quæ hic ubique obtinet, capacem non esse mentem finitam.

§. XXIV.

**E**st vero hæc omnipræsentia Divina, qua æquatissimam omnium entium cognitionem, actio Dei ad extra immanens, qua operationem vero in singulas creaturas, actio ad extra transiens (§. 4.). In toto denique suo ambitu spectata, prædicatum divinum relativum (§. 4.), quod Deo inde a primis mundi initiis tribuendum, cessante vero hujus existentia, & sublata, quæ Deum intercedit relatione, salva tamen ubiq; immutabilitate divina, cessat (Conf. §. 4.). Hinc etiam sequitur, Omnipræsentiam pro attributo divino haberi non posse, si attributorum nomine tantum veniant affectiones, quæ per essentiam in se spectatam determinantur. Si vero in sensu latiori sumantur attributa, ut etiam ea prædicata comprehendant, quæ posita conditione quadam, necessario ex essentia fluunt, tum quidem nihil obstat, quominus in numerum attributorum divinatorum referri possit



fit ejus Omnipræsentia, in sensu hoc relativo.

§. XXV.

**Q**ui Omnipræsentiam divinam ad res actu non existentes, sive mundos posibles extendunt, contundunt illi immensitatem, attributum Dei absolutum (§. 3), cum ipsius Omnipræsentia, & relationem Dei possibilem ad mundos illos, si existerent, considerant. Idem etiam affirmandum de iis, qui Omnipræsentiam ad spatium, quod sibi imaginantur & fingunt ante & extramundanum, pertinere contendunt. Per spatium nos intelligimus, ordinem, quo coexistunt res. Quæ adeoque idea relativa in abstracto concipienda non est, quasi existeret spatium, nullis licet entibus existentibus: quippe quod demum oritur ex simultanea rerum existentia, quemadmodum ex earum successibus, tempus. Referimus nos Omnipræsentiam Dei ad mundum actu existentem (§. 7), adeoque ad spatium tantum mundanum actuale. Quod spatium attinet antemundanum, illud nuda est possibilitas, coordinandi juxta se invicem res creandas, fundata in ipsa essentia divina, quæ actualem spatii existentiam nullo modo infert, vel uti nec possibilitas mundi ejusdem existentiam involvit. Patet hinc quoque, quid de spatio extramundano sentiamus: nimirum existere ejusmodi extensum uniforme, continuum, indivisibile, immobile, a rebus existentibus penetrabile, in ce-

rebro eorum, qui plures mundos extra hunc, & simul possibiles sibi repræsentant, actu vero non magis, quam mundi illi possibiles, existit; adeoque nec actualia admittere potest prædicata. Hinc neque Deus illi actu præsens dicendus. Si vero quæsieris, quid mandum hunc excipiat, vel quid extra mundum sit, respondeo, quemadmodum nihil fuit ante mundum, sic & extra mundum nihil est. Neque hic meum est de spatio & de extensione mundi agere; indigitavi tantum, quid spatii vocabulo intelligam, ut constaret, qua ratione capienda sint, quæ de Omnipraesentia divina adduxi.

## §. XXVI.

CUM immensitas divini substantiæ vel attributorum ejus magnitudinem reddat indeterminabilem (§. 3.) ex ipsa immensitate ejus intelligitur, nulla dari entia, vel possibilia vel existentia, quibus substantia adesse, quæ cognoscere, & in quæ operari non possit, adeoque nulla dari entia sive possibilia sive actu existentia, quibus non possit præsens esse (§. 7.). Uti immensus est omni respectu; ita nec terminis locorum vel spatorum includi potest. Cum vero ex immensitate divina, quæ attributum divinum est absolutum, necessarium, æternum & immutabile, atque illimitatum ad omnia possibilia se extendens, concipiatur, Deum rebus demum ad existentiam perductis, posse præsentem



lentem esse, illud pro Omnipræsentiæ divinæ fundamento habetur. Unde etiam Omnipræsentiã dicunt nonnulli immensitatem ad mundum actu existentem relatam. Hanc essentialẽ & fundamentalem, illam vero actualem. Quod vero actu Deus creatis præsens sit, & in illos operetur, id ex libera ejus voluntate, actionum ejus ad extra transeuntium fonte, pendet. Quatenus vero ex immensitate Divina, & ejus libera voluntate intelligitur, cur Deus rebus præsens esse possit, & actu sit, in illis fundata dicitur Omnipræsentiã. Intelligitur hinc differentia inter immensitatem & Omnipræsentiã. Illa Deo necessario inest, per essentialẽ, sive mundus existat, sive non; hæc vero involvit existentiam mundi.

## §. XXVII.

Quod vero gradus attinet omnipræsentiæ Divinæ: illi in substantiali ejus præsentiã in abstracto spectata locum non habent, (§. 16.), nec in præsentiã intentionali (§. 15.). Quatenus vero plus vel minus creaturæ operationis Divinæ participes fiunt, eatenus gradus in omnipræsentiã ejus possibiles esse apparet. Salva tamen manet immutabilitas ejus: quemadmodum enim ante, rebus non est præsens, quam existunt, ita nec in majori gradu enti cuidam adest, priusquam illud ad singularem ejus operationem recipiendam idoneum est. Verum de his, ut & de omnipræsentiã Christi es-

αὐτοῦ speciatim agere Theologorum est. Manemus nos in proprio foro.

§. XXVIII.

**F**ilius quidem & copiosus hæc tradi potuissent; immo & forte debuissent. Sis vero paucis his contentus, B. L. Considera jam mecum corporum mundi totalium & cœlestium, quorum numerum nemo inire potest, multitudinem, eorumque stupendam a se invicem distantiam. Perpende, ut illa prætereamus, quam innumera sint, in globo hocce nostro terraqueo, entia & composita & simplicia: adverte animum ad singula, quæ in omnibus naturæ regnis existunt. Vide quam nostrum excedant hæc omnia calculum. Memento simul ubique præsentem esse Deum, & omnia replere. Attende ad modum, quo omnibus & singulis adest, & in ea operatur & agit, & sane obstupesces. En! infinitudinis & immensitatis Divinæ oceanum, quem Te, quam temerario ausu, sub examen mentis Tuæ arctissimis inclusæ limitibus, revocare, & rationis decempeda metiri, magis venerari & mirari decet. Sit vero singulis nostrum, præsens gratia sua divina, Omnipræsens, cui soli Triuno laus, gloria & honor in secula nunquam terminanda.

Tantum.

